

Q.K. 412,6.

X 187 7094



Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like 'ORDER' and 'DASS'.



Anguli crinium capitis et barbæ Hebræis interditi. Angulus crinium adscē
 ne tonderentur Levit. 19. 27. feminis Heb
 usitatus



b. a. b. anguli
 capitis
 1. 2. 3. 4. 5. anguli
 barbæ:



a. a. a. c
 divi
 b. crin
 torti

Modus tondendi caput Hebræis interdictus
 Levitic. 19, v. 27.



Q. D. B. V.

COMAM
HEBRÆORUM
licitam & interdictam,

*ad illustranda commata,
Levit. XIX. vers. 27. aliaque*

PRÆSIDE

THEODORO DASSOVIO,
Lingv. Sanct. & Orient. reliqv. P. P.
amicæ sententiarum collationi

sistit

CHRISTIANUS  Alten

Holmiâ-Svecus,

In Auditorio Majori,

Ad d. XXI. Aug. M DC XCV.

VITTEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

um adscen
uinis Heb
usitatusa. a. a. c
divi
b. crin
torti

COMAM

HERBARIUM

herbarii & interdictum

in herbis & interdictum

herbarii & interdictum

THEODORO DASSOVIO

linguae & Orientis relictus P.P.

herbarii & interdictum

CHRISTIANUS THOMAS

herbarii & interdictum

herbarii & interdictum

CHRISTIANUS THOMAS





§. 1.

DE coma Hebrææ gentis exposituri, non excu-
ciemus maxima minima, quæ dici eam in rem
possint, sed ea solum attingemus, quæ magis
involvuntur, & interpretibus faciunt negotium.

§. 2.

Offeruntur autem explicandi primo omnium an-
guli crinium capitis & barbæ, qui veteribus Hebræis
in usu erant, ac interdicebantur, ne tonderentur Le-
vitici cap. 19. commate 27. Quos angulos barbæ igno-
rari asserit *Clarissimus Spencerus de legibus He-
bræorum ritualibus lib. 2. cap. 12. p. 346. edit. Can-
tabrig. in fol.* ubi ita scribit: *Huic etiam circum-
stantiæ consona sunt legis hujusce verba caventis,
ne פנת ראשכם circumtatem crinium capitum cir-
cumtonderent, neque פנת זקנך summitatem
barbæ corrumperent. Ita quidem vocem פנת
vertere consultius habui, non tantum, quod sensum
magis congruum & concinnum fundat, (quis e-
nim angulos barbæ novit?) Sed quod vox ea ad rei
extrematatem notandam quandoque usurpetur, &c.*

§. 3.

Sed res in vado est. Anguli crinium & barbæ de-
A linca-

lineantur à *Jacobo Kaphelio* in libro, quem vocat *Omeck Halacha edit. Cracoviens. in 4. fol. 34. p. 2.* ubi crines eodem modo exhibentur, quo exhibentur in figura prima, nisi quod vultum humanum cum sudario, præeuntibus Hebræis ipsis, adjecerimus. Notant autem literæ a. b. angulos crinium capitis, qui ad aures extendebantur, ut illas tegerent; numeri vero, 1. 2. 3. 4. 5. angulos barbæ indicant, siquidem in extremitate maxillæ inferioris utriusque versus aures erant duo anguli, & in extremitate maxillæ utriusque alterâ versus mentum iterum erant duo anguli, ac denique inter illas duas extremitates maxillæ inferiores, in ipso mento erat angulus quintus.

§. 4.

Audiantur Hebræi ipsi rem eodem modo describentes, v. g. in libro *Siphra*, qui cum *Scholiis Korban Aharon Venetiis* prodiit elegantissime A. 1609. fol. 212. in sectione *Kodaschim c. 6.* ita legitur:

פאת ראשכם סוף ראשכם ואילו הם הצדעים מיכן ומיכן
i. e. *angulus capitis vestri (est idem ac si diceret) finis capitis vestri, quæ sunt tempora hinc & inde.*

Ad quæ verba, *Glossa Korban Aharon* ita commen-

ט' פאת ראשכם ש' לראש שהראש בשתי חתיכו' מקום:

השער חתיכה אחת ומקום הפנים והזקן חתיכה אחת ומחברו' זו עם זו בצד האזן מלפניו ושם נקרא פאה ששם סוף הראש מקום חבור הפרקים נמצא שיש לו ב' פאות צדערה

Nam duo anguli sunt capitis, quia caput (dividitur) in duas partes, ut locus ubi sunt



sunt crines, sit una pars, & locus ubi vultus & barba (sunt) sit altera pars, (quæ partes) conjunguntur secum versus aurem anteriùs; & ibi vocatur angulus, quia ibi (est) finis capitis, in loco ubi conjunguntur junctura. Itaq; sunt illi (capiti) duo anguli, tempus ab hac parte, & tempus ab illa parte.

§. 5.

Anguli quoq; barbæ loc. cit. pulchrè describuntur, cum dicitur: פארַת זקנך סוף זקנך מלמד שהוֹת חייב על הראש שתיים אחת מיכן ואחת מיכן ועל הזקן שתיים פארַת זקנך סוף זקנך מלמד שהוֹת חייב על הראש שתיים אחת מיכן ואחת מיכן *sive: angulus barbæ tuæ (est) extremitas barbæ tuæ; docet (scripturæ) quod sit reus propter caput (tonsum) binis (vicibus), unâ (vice quia totonderat) hinc, & una (vice quia totonderat) illinc; & propter barbam duabus (vicibus) hinc, & duabus vicibus illinc, & unâ vice inferius (propter tonsionem fiat reus & sic quinq; vicibus.)* Quam rem glossa citata ita interpretatur: חמש פארות יש לזקן אחד למטה מן האזן מקום שהלחי התחתון יוצא ומתפרד שם ושם נקרא פאה בחורו של לחי שכולט לחוץ ששם מתחללת הזקן וכל מה שלמעלה עד הצדעה בכלל פאת ראש היא ושני השבולות כל אחד מהן לסוף הלחי נקרא פאה ואחת מלמטה שער שבין השבלת *i. e. quinq; anguli sunt barbæ, unus infra aurem, in loco ubi maxilla inferior prominet & sejungitur, ubi ponitur angulus, in apice*



maxilla, quæ ibi prominet exterius, ubi est initium barba; quod autem superius (extenditur) versus tempus pertinet ad angulum capitis; & duæ (sunt quasi) spicæ (barbæ) quarum qualibet ad finem maxilla (inferioris extenditur), & unus (est angulus) infra crinem qui est inter spicas in medio mentis.

§. 6.

Eodem modo isti describuntur anguli à Gersom in *Perusch al hattora* edit. Venetæ & charta cœrulea fol. 163. col. 2. in f. & à Davide Kimchio in libro *Radicum* edit. Venetæ sine titulo latino fol. 385. in R. פנה.

§. 7.

An autem illi anguli capitis de cincinnis explicari debeant merito ambigitur, & hinc deseritur Cornelius à Lapide, qui in *Levit. c. 19.* edit. Antverpiensis Tom. 1. p. 712. col. 2. ita scribit: Censent ergo septuaginta cincinnos hic vetari, & de iis accipi possunt Hebræa, quæ sic ad verbum sonant: non circulabitis, non facietis rotundam, vel non cincinabitis extremitatem capitis vestri. Ratio est, quia cincinnati & calamistrati capilli signum sunt mollis & effœminati animi, ideoq; viros decent. Nam Hebræa phrasis quando dicitur, non in rotundum vel in circulum cingetis angulos capitis vestri, de tonsione capitis explicari debet, ut in sequentibus ostendetur,

§. 8. Me-

§. 8.

Melius explicat *Jacobus Bonfrerius*, qui in *Pentateucho Mosis*, *Commentario illustrato edit.* Antverp. p. 671. col. 2. in h. l. ita commentatur: Neq̄ huic nostræ explicationi repugnant *Hebraus textus*, vel *Paraphrasis Chaldaica*, vel *septuaginta*, aut *Theodotionis editio*; illa enim capitis seu extremitatum capilli circumgyratio optime intelligi potest facta per capillorum & extremorum cincinnorum detonsionem, sic, ut iis in orbem detonsis casaries infernè circulum quasi exprimeret, uti & modo in *Monachis cernimus*. Nam si anguli capitis ita tonderentur, dicebantur corrumpi, ut infra explicabitur.

§. 9.

Alio modo hunc locum intelligit: *Alphonsus Tostatus*, qui operum *Tom. 3. edit.* *Coloniens.* p. 346. ita scribit: Prohibebatur tamen per istud præceptum corona, quam clerici gestant, scilicet rotunditas capillorum & c. & paulò post: Corona autem rotunditatem capillorum signat, scilicet circulum quendam ab aure usq̄ ad aurem per caput & frontem veniens: unde corona consistit in habitu- dine duarum tonsurarum, scilicet superioris, quæ est in vertice, & inferioris, quæ est ab aure usq̄ ad aurem; capilli autem medii, qui supra & infra circulariter tonsi sunt, corona vocantur, &

A 3

ideo

ideò dicitur de clericis quod debent gestare conve-
nientem coronam & tonsuram; ista a utem corona
vetita erat apud judæos, ex verbis hujus literæ,
quoniam corona presupponit tonsuram superio-
rem & inferiorem, sed inferior vocatur attonsi-
comarum in rotundum, & ista est prohibita hîc.
Sed licet rectè dicatur hîc prohiberi attonsi-
onem comarum in rotundum (per quam anguli capitis
corrumpebantur), tamen non prohibetur corona utpo-
te quæ superiorem & inferiorem tonsuram capitis præ-
supponit, cum tamen superior tonsura hoc loco mini-
mè indicetur.

§. 10.

Joannes Lorinus in commentario in Leviti-
cum edit. Lugdunens. p. 605. col. 1. refert sententiam
Cajetani de hac re, cum ait: Cajetanus ex He-
bræo exponens, non facietis gyrare angulum capi-
tis, negansquè quicquam hîc dici de tonsione, cre-
dit inhiberi superstitionem fertorum quæ gyra-
bant capita celebrantium sacra Deorum &c. de
barba quoquè affirmat prohiberi rasionem angu-
lorum barba, i. e. supremarum partium barba
quæ junguntur temporibus. Deinde suam senten-
tiam annectit scribens p. 606. col. 2. Hebræi teste et-
iam Clario de hac attonsiõne capitis ita sentiunt, ut
anguli ejus i. e. tempora non sic tondeantur post
aures, ut eorum rasura fronti æquetur, & caput
sphaera

sphaera habeat figuram. Licet autem Lorini sententia albam mereatur calculum, tamen cum Cajetano negari non potest, hic quicquam de tonsione dici aut ferta indicari, quæ explicatio Hebræis penitus ignota est.

§. II.

Angulis capitis & barbæ ita explicatis, progredimur ad figuram secundam, quæ caput exhibet femininum, crinibus ornatum. Ubi primò omnium attendi debet feminas Hebræas diligentissimè occultasse crines suos. Unde scribit *Jacobus Elchanan in Sopher Emeck Hammelech edit. Amstelodamensis, ex edibus Immanuelis Benevenisti (qui Talmud Babyl. Amstelodam. edidit) fol. 143. col. 3. pereck 35. in initio, quod mulier ostendens crines in se concitet judicium divinum.* Habebatur etiam crinis feminis dedecori, si ostenderetur, ut docetur in *Piske Tosephoth libro Berachoth subnexis §. 73.* Imò ipse fatetur *Majmonides Tomo 2. Mischne Tora, siue editionis Venetæ posterioris, titulo issure Bia c. 21. §. 17.* puellis non licuisse nudo capite incedere, quamvis in infantibus hæc non adeo attenderentur, ut monet *Obadias de Bartenora in Mischnam Nedarim c. 3. §. 8. edit. Trident. fol. 147. col. 1. in fol.*

§. 12.

Licet autem feminae Hebrææ proprios crines absconderent, tamen peregrinum & adscititium imponebant

nebant capitibus, qualem in imagine exhibuimus.
 Describitur ille crinis in *Majmon. commentar. in*
Mischn. de sabbato edit. cit. c. 6. §. 5. ופאת נכריות
 כמו מגבעת ירכקו בו שער נאה והרבה ותשים אותו האשה על
 דרך ראוי כדו שהתקשט בשער *sive: angulus*
autem (crinium) adscititius est instar tiaræ, (sive
ut alii instar galeæ, ut in altum surgat) cui adha-
ret capillus pulcher atq; copiosus, quem imponit fe-
mina capiti suo per accidens (vel contingenter) ut
ornetur crine. Præterea distinguebantur crines fe-
 minei, in divisos & contortos. Divisi ad tempora de-
 rivabantur, & se habebant instar funiculorum (sive in-
 star filorum descendebant in cincinnos tenues), & insi-
 gniantur literis a. a. a.; crines autem contorti erant funi-
 culi majores, ex crinibus contorti, & capiti circumvoluti
 qui notantur litera b. Hinc legitur in *Majm. comm.*
in Misch. de sabbato c. 10. §. 6. וגדלת היא האשה
 היודעת לגדל השער ולעשותו עבות ופוסקת היא הנותנת
 i. e. quæ *plectit (crines) est mulier quæ novit plectere cri-*
nem, & facere ex illo funiculos; quæ autem dividit
(crines) est quæ derivat crinem super tempora, &
hoc se habet instar modi in funiculos plectendi cri-
nem. An autem utroque modo simul formarint
 crinem, an uno non adeò constat, licet sit probabile for-
 matum fuisse simul etiam utroque modo.

§. 13. His

His ita quodammodo excusis aliqua codicis sacri
 sententia facile intelliguntur; v. g. cum legitur Cantic.
 4. v. 1. oculi tui columbini (sunt) præ crine tuo, indica-
 tur per vocem כרמך crinis contortus, cum funiculi crini-
 um formantur, ceu eleganter docet *Kimchius in li-
 bro Radicum in R. כרמך ed. Ven. p. 422. in init.* Unde
 Germanicum vocabulum *Zöpfse* / de crinibus con-
 tortis explicandum est, licet Domini Vinarienses de
 crinibus solutis & non contortis acceperint, quorum
 tamen glossa vocabulo sequenti magis congruit, ubi di-
 cuntur crines esse instar gregis caprarum. Quan-
 do autem legitur *Cantic. 5, 11. capilli ejus, (Messiæ)
 crispi sunt*, intelliguntur crines copiosi, in cincinnos de-
 scendentes, quando ex una crinium parte multi cin-
 cinni pendent, sicut multa fila ex uno superius contor-
 to funiculo pendent, ut explicat *Kimchius* vocem
Taltallim in R. חלף & *in primis in radice ציץ*. Ita-
 que magis multitudo cincinnorum, quam eorundem
 crispatura innuitur, nisi velimus dicere, extremitates
 cincinnorum ex parte leviter inflexas etiam & crispas esse.
 Idem ferri iudicium de crinibus Nasiræorum potest,
 Judic. 16. v. 13. quia vocabulum *מחלפות*, quod ibi occur-
 rit, explicatur à *Salomone Jarchio*, & *Kimchio in h. l.*
 per vocabulum *קוצות* quod Cantic. 5. v. 11. legitur, &
 notat cincinnorum extremitates. Nam & Nasiræi ge-
 rebant cincinnos septem, quorum extremitates leviter
 B incur-

incurvabantur, quas contorquere ulterius poterant, vel ligare etiam, ne copiosus crinis molestus esset, vel hinc inde in faciem diffunderet; Conferatur etiam de plicaturis crinium Nasiræorum Jarchi in Cantic. 7. v. 5. qui voce קליעה, quæ plicaturam notat, utitur.

§. 14.

Ut ad alia loca, quæ de crinibus agunt, descendamus, legitur Cantic. 4. v. 1. & c. 6. v. 4. crinistius est, ut gregis caprarum; in quem locum *Kimchi in libro Radicum in R.* וכן פירשו ארני אבי ה' שומרטו ונמרקו בינות עצי היער ונהייפו כאלו נסרקו במסרק *Et ita explicat illud Dominus pater meus f. m. quod glabra facta sint (oves), & tersa inter ligna sylva, ac nitida reddita, ac si essent pexa pectine.* Quam glossam imitantur rectè *Domini Vinarienses his verbis in h. l.:* Zwischen dem Gesträuch im Holze gleichsam gefämnet und fein schlecht gemacht. Eodem modo explicat *Ainsworthus* in h. l. cum adhibet verba: made even or eqvall. Licet enim *Jarchius* de splendore & luce ex alia vocis significatione interpretetur, quod oves albæ de monte descendentes luceant, tamen si pexæ sunt, magis lucent: Atque sic per hos sponsæ crines indicantur crines pexi vel in fronte divisi vel supra frontem in suggestum crinium ascendentes, qui in figura 2da delineantur.

§. 15.

Præterea Cantic. 7. 5. legitur: *Et cincinni capit-
tis*

tis tui sunt sicut purpura, rex ligatus est in ambu-
lacrīs; qvo in loco per cincinnos intelliguntur קוצות
sive extremitates crinium copiosè de capite descen-
dentium, quas supra explicuimus, ut docet Kimchi in
R. 447. Cum qvo consentit Moses Alschech, qui
in Schoschannath Haamakim, edit. Pragens. fol.
19. col. 2. scribit, qvod קוצות רגלית fit idem qvod ציצית
qvæ vox notat קוצות. Comparantur autem cincinni
sponsæ cum purpura, non ratione coloris, sed elegantis
compositionis, sicut purpura eleganter componitur, &
applicatur corpori. Non autem hîc ligati crines sed
soluti innuuntur; neq; glossa Dominorum Vinarien-
sium vim phrasıs Hebrææ exprimit, cum commentan-
tur in h. l. Gleichwie von saubern Weibespersonen
das lange Haar auff's fleißigste gereiniget/ geschlich-
tet/ und in Salten oder Zöpfen zusammen geflochten
wird. Nam crines hîc non dicuntur ligari, sed rex dici-
tur ligari, siquidē vox רגלית, qvæ foeminini generis est, nō
respicit vocem אסור, qvæ generis masculini est; sed אסור
refertur ad regem. Hinc Samuel de Casseres in ver-
sione bibliorum Hispanica, edit. Amstelod. in 8. in
h. l. p. iiii. vertit: cabelladura de tu cabeça como pur-
pura; Rey atado en corredores; Et Angli pari mo-
do vertunt in versione Anglica edit. Londinens. in
8. in h. l. and the hair of thin head like purple; the
king is held in the galleries; Ligationem quoqve de
B 2 rege

rege accipiunt *Alschech loc. cit. & Obadias de Saphorno in Schir Haschirim edit. Venet. fol. 6. col. 1.*

§. 16.

Restat phrasis *Proverb. 11, 22.* נזם הזהב, quæ vertitur Germanicè mit einem gülden Haarband / ubi per vocem Haarband non intelligitur vinculum, sed monile aureum nasi, quod eleganter describit *Abarbanel in Nebhiim Acharonim, edit. Amstelod. fol. 10. col. 4.* his verbis: ונזמי האף הם הנזמים שהיו מביאות על אפיהן או היו תלוין במגבעו הראש בחבל ויורדין על המשם *i. e. monilia nasi erant monilia, quæ (femina) imponebant vultibus suis, aut suspensa erant ex tiaris capitis funiculo, & inde descende- bant usq; ad nasum.* Quo cum congruunt verba *Jekuthielis in versione Germanica edit. Amstelod. in h. l. ist ein güldener Naasband.* Appositè quo- que in h. l. loquitur *Ferdinandus Quirinus de Sa- lazar, in expositione in proverbis, T. 1. edit. Paris. fol. 426. col. 2.:* Sicut circulus ille aureus seu moni- le, quod femina à fronte in nares demittunt, & aptè accommodant, in porca nasum aptè cadere & turpissimo ejusdem rostro accommodari non pot- est: sic etiam pulchritudo, quæ est eximium natu- re ornamentum, mulieri fatua, seu impudica ne- quaquam convenit, sed malè atq; ineptè illic vi- detur à natura collocata. Non autem est quod ca- stiget

atiget versionem *B. Lutheri Thomas Bartholinus*
in libello de annulis narium, subnexo syntagmati
de inauribus veterum edit. Amstel. p. 13. scribens:
Lutherus Germanicè reddit Spangen / Ohren-
spangen / Stirnband / (Judic. 8. Proverb. 25.) Gül-
den Haarband Prov. 11. Es. 3.) Stirnspang. Ubi
existimo, illum non benè reddidisse Stirnband /
Haarband / non enim fuerunt ipsa vitta, vel Stirn-
band aut Haarband / sed circuli vel annuli ex illis
dependentes, uti videtur, nisi forte ipsa vitta vel
fascia unà cum annulis fuerint. Nam Resp. B.
Lutherum per voces Stirnband / Haarband / non
fascias, sed aurea ornamenta intelligere, quia in aliis locis
eandam vocem per vocabula, quæ aurea ornamenta
notant, expressit:

§. 17.

Sed ut è diverticulo in viam redeamus, figuræ re-
 liquæ, tertia nempe & quarta quoque excutiendæ sunt.
 Illæ exhibent tonsionem capitis Levit. 19. 27. interdi-
 ctam, & in forma circulari factam. Ea describitur in
libro Siphra, sive Torath Cohanim, edit. Venet. fol.
210. col. 3. his verbis: ואלו הם סוף הראש מלפני הוא סוף
עיקר שער שפדח' ומאחור הוּן סוף עיקרי השער שבאחורי
הקרקוד כי משם ולמטה שער העורף הוא ולא שער הראש
 five: hic est finis capitis; anterior finis est radix capilli
 qui est in fronte, & posterior finis constat ex radicibus
 capilli, qui sunt post verticem, quia ab eo loco & infe-
 rius

rius est crinis cervicis, & non crinis capitis; & paulo
 וכאשר יסיר שער הצרעין ומשורר איתו עד סוף
 שער הראש שבמצח ובאחור תשאר כל ראשו מוקף סביב
 ולהכי קרא הכתוב הסרת שער הצרעים כאשר הסיר אותו
 והשוהו עם סוף עיקרי השער שבאחורי האזנים וסוף עיקרי
 השער שבפרכת הקפת הראש ואם כן אומרו ל^א תקיפו
 פאת ראשיכם ירצ' לא תגלחו הצרעים מכאן ומכאן שבו
 ישארו שער הראש שבסוף בהקפה ופי' הפסוק לא הסבבו
 שיהיה שער ראשכם מוקף בסוף וזה בהסר' שער הצרעין
 אשר הו^א i.e. *Et cum removet ca-*
pillum circa tempora, Et aequat illum, usq^{ue} ad fi-
nem capilli capitis, qui in fronte est, Et a parte
posteriori, relinquitur totum caput, cinctum cir-
cum circa in fine (crinium); Et sic vocat Scriptu-
ra remotionem capilli circa tempora, (cum remo-
vet illum, Et aequat illum cum fine radicum cri-
nium, qui sunt post aures, Et fine radicum crini-
um, qui sunt in fronte,) circulum capitis; Itaque
cum dicit (Scriptura) non cingetis angulum capi-
tis vestri, vult (dicere) non tondeatis tempora hinc
Et illinc, quia hoc modo relinquetur capilli capitis
extremitas in circulo; Et sensus versiculi est: non
cingetis (caput), ut fiat capillus capitis vestri in ex-
tremitate circularis, quod fieret per remotionem
crinium circa tempora, ubi est finis capitis, sicut
diximus.

§.18. Hunc

§. 18.

Hunc modum tondendi caput in forma circulari gentilibus fuisse in usu ipsi Hebræi docent, v. g. *Levi Ben Gersom, in Perusch al hattora, edit. Venet. fol. 163. col. 2. Moses Alschech, in Torath Mosche, edit. Prag. fol. 196. col. 2. Obadias de Saphorno, in Biur al hattora, edit. Venet. f. 49. col. 4. qui hunc modum tondendi stultum vocat, Isaacus Bar Juda halle- vi, in Sepher Paaneach Rasa, edit. Pragens. fol. 57. col. 2. Abraham Seba, in Tzeror Hammor, e- dit. Venet. fol. 101. col. 1. Samuel Tzirsa, interpres AbenEsra, in Sepher Mecor Chajim, edit. Man- tuana fol. 76. col. 2. Et ipse Majmonides in More Nebhochim parte 3. cap. 36. Et in Mischne Tora, e- dit. Venet. T. 1. fol. 43. p. 1. in libr. de idololatria, c. 12. §. 7. Idem docet Cl. *Qvistorpius* in annotatio- nibus in omnes libros biblicos edit. Rostochiens. p. 143. ubi tamen illud observetur, si gentiles comam fi- gurâ tonderent orbiculari, accessisse ad judæorum le- gem, eam tonsionem prohibentem; non tamen si pla- nè caput deglabrarent, ut ex *Lib. 1. Lactantii* ibidem probat.*

§. 19.

Itaqve certum est & evidens *Levit. 19. 27.* pro- hiberi tonsionem capitis in forma circulari factam, quam etiam Judæi in *Talmude Babylonico* magno gentis suæ consensu asserunt, cujusmodi loca collegit
Aha-

Aharon Mippesaro, in Toledeth Aharon, edit. Amstelod. in h. l. sicut alii in locum ex Talm. Hierosolymit. ex Tractatu Pea affert Sas Portas, in Sepher Toledeth Jaacobh, edit. Amstel. in h. l. Sed corrumpere angulos barbæ non de tonsione circulari, sed de totali rasiõne barbæ novaculâ factâ accipiendum est. Ita explicatur in Jalcuth Tom. 1. edit. Cracoviens. fol. 175. col. 3. in Isaaci Abarbanelis Perusch Hattora edit. Veneta, fol. 257. col. 1. in Bechaj, in Biural Hattora, edit. Cracoviens. fol. 154. col. 2. Et in Jarchio in Levit. 21. v. 5. Ubi quoque observetur, Edwardum Leigh, in Critica sacra in voce פנה, angulos quidem capitis, non autem angulos barbæ rectè descripsisse, quoniam barbæ angulus nullus in labro superiore erat. Nec præteriri debet Jehudam Aben Tibon in versione Cuzary Hispanica, edit. Amstelod. p. 130. vertisse hanc tonsionem capitis rincones de la cabeça, licet Buxtorffius in ejusdem libri versione Latina, quæ Basileæ A. 1660. prodit, illud ad tonsionem barbæ quoque extenderit.

§. 20.

Videantur his ita expeditis nunc aliorum interpretum sententiæ, de hac tonsione Judæis interdicta. *Theodoretus Tom. 1. Operum, edit. Paris. p. 134. Et 135. existimat prohiberi hic eam consuetudinem, quæ apud Græcos capita puerorum non attondebantur, sed sinebant capillos promittere & hos postea dæmonibus dicare.*

dicare. Sed illi fortassis cum dæmonibus dicarent crines, totaliter eos radebant, non verò in forma circulari detondebant, quamvis *Laurentius Beyerlinck*, in *magno theatro vite humanae*, edit. *Lugdun.* T. 1. p. 6. col. 1. & tonsionem circularem & consecrationem dæmonibus factam conjungat.

§. 21.

Cæsar Baronius, *annalium Ecclesiasticorum* Tom. 1. edit. *Antverp.* p. 751. ad annum Christi 58. ita hanc in rem scribit: *Quapropter tota vis legis in eo versatur, ut judæos prohiberet ea facere, quæ proxima provincia facerent idolorum sacrifici, qui eo modo caput ac barbam tonderent, ac cultris suas sibi carnes inciderent. Sicq; ea, quæ illi faciebant, lex judæis vetuit sacerdotibus. Hæc ut clariora fiant, reddamus hic verba, quæ ex eodem Levitici libro (c. 29.) superius citata sunt: Nequè in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, & super mortuo non incidetis carnes vestras, nequè figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. At videamus, quàm verè hæc eadem à sacerdotibus Deæ Syriae, judæis proximis, factitari solita esse idem Syrus auctor (*Lucianus*) ibiq; versatus, egregiè memoriæ tradat. Nam imprimis agens de antiquitate templi ejus atq; cultu, multorum refert fuisse sententiam, ut à Deucalione fuerit excitatum: & licet alias referat de ea*

C

opi-



opiniones, antiquissimum tamen planè illud fuisse, una omnium erat assertio. In eo exactos viros glabros sacrificare consuevisse, eosdemq; se cultris incidere inter immolandum, testatur. Verum enim verò licet prohibita hæc tonsio gentilibus fortè in usu fuerit, tamen Hebræa phrasis nullam indicat glabritiem, sed tantummodò tonsionem circularem, quam etiam *B. Lutherus*, innuit Levit. c. 19. v. 27. cum adhibet phrasin: *ih̄r solt euer Haar am Haupt nicht rund umbher abschneiden.*

§. 22.

Matthias Flacius in Clavi scripturae sacrae, edit. Jenens. fol. 39. hoc modo commentatur: *Angulum capitis aut barbae tondere, est extremitatem capillorum tondere. Levit. 19, 27.* Quod rectè asseritur de capite, non verò de barba, utpote quæ per totalem rasionem tonderi, corrumpiq; dicebatur.

§. 23.

Lucas Osiander operum Tom. 1. p. 167. col. 2. ita in Levit. 19. v. 27. scribit: *Hebr. non attondebitis angulum capitis vestri, neq; perdes angulum barbae tuae (i.e. ne faciei tuae formam immutes, per tonsuram; vel angulos in facie tondendo, vel barbam demetendo; & in Levit. 21. v. 5. p. 169. col. 2. ita pergit: Heb. non calvum reddent caput suum, & angulum barbae suae non tondebunt, (i.e. non radendo, vel etiam evellendo crines, calvos se reddant;*

dant, nequè barbam tondendo faciem deforment,
ad significandum animi dolorem super defuncto.)

At anguli in facie tonsi, & à barba distincti Hebræis ignoti prorsus sunt; calvium autem reddere tondendo caput, & angulos tondere capitis non sunt phrasæ Synonymicæ.

§. 24.

Hugo Grotius in *Levit.* 29. v. 27. hunc ritum tondendi caput Saracenis tribuit; & ex *Herodoto*, ac *Theodoro Mopsvesteno* probat. Quæ facile admittuntur. Sed quæ de coma rotundata Sisoë addit, ea refutantur à *Theodoreto*, T. 1. edit. Paris. p. 134.

§. 25.

Denique *Johannes Coccejus*, operum T. 1. edit. *Francos.* p. 182. in *Levit.* 19. v. 27. satis aptè ita loquitur: *Vetat illa (lex), quæ gentes faciebant in honorem mortuorum: ne caput suum in orbem circumtonderent, nequè barbam abraderent, aut carnem laniarent, aut casuram Ἐ σίψα in carne facerent, in horum tertio mentio fit mortui.* Notum tamen est, gentes in coma desecanda, eaq; monumentis imponenda, honorem mortuorum quæsi-visse. Quæ ita asseri possunt, si gentes non totam comam capitis, sed aliquam resectam monumentis impo-suerunt, quoniam hac demum ratione illarum tonsio cum judaica congrueret. Atque hæc in præsens de hoc argumento dixisse sufficiant.

No-



Ti 418 AM

Nobilissimo; Clarissimoq; Viro,

DN. CHRISTIANO HÆREN-ÆSK/Holmiâ Svec.

S. P. D.

P R Æ S E S.



Um desideras, ut applaudam virtuti tuæ, officium humanitatis petis, quo nullum mihi est jucundius. Nam amica Svecorum nomina, inter quæ & tuum refero, hærent in meo pectore, & quoties eorum reminiscor, qui nobis affuerunt, & nunc, magna consensione doctrinæ, bonas ornant literas, toties non possum non gaudere de Suecis impensius. Inprimis cum voluptate recordor ejus temporis, quo Excellentissimus Normannus vester, in sinu nostro amplexuq; tenebatur, dulcis hospes atq; exoptatus, qui cum Græcis Hebræisq; literis imbutus esset egregiè, non prius acquievit, quam in apicem eruditionis Hebrææ penetraret. Hæc vestigia pulcherrimè seqveris, nobilissima anima, & quotidie adhæres nobis, insuetâ solertiâ, ac quod tibi contigit capacissimum ingenium, eleganter exerces, spemq; suscitans lætissimam, fore, ut si cum aliis contenderis, dubiam aliquando palmam facias, & diligentia censoribus eruditionem tuam ex asse probes. Procede itaq; in itinere laudis feliciter, & sicut Academia Civem dedisti optimum, ita dare patriæ nobilissimæ, dare necessariis, dare Mæcenatibus eum, quem votis communibus exoptant, sciendi aviditate tua laudabili contende, ac nos amatuos virtutem tuam perpetuò, confide.

SS (o) SS

1077

ML



Handwritten blue ink markings at the top of the page.

DN. CH



pectore, & n
runt, & n
nant liter
impensiu
poris, qv
nostro an
ptatus, q
set egregi
tionis He
sequeris,
insuetâ sc
genium,
fore, ut si
mam fac
ex affe pr
& sicut A
trix nobi
eum, qve
tate tua

Handwritten blue ink markings at the bottom left of the page.

Holmiâ Svec.

virtuti tuæ, of
nullum mihi
corum nomi
arent in meo
vi nobis affue
næ, bonas or
lere de Suecis
rdor ejus tem
vester, in sinu
spes atq; exo
is imbutus es
apicem erudi
a pulcherrimè
dhæres nobis,
acissimum in
s lætissimam,
liqvando pal
itionem tuam
audis feliciter,
m, ita dare pa
Mæcenatibus
sciendi avidi
tuos virtu

Handwritten blue ink markings at the bottom right of the page.

